



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**ATHLETICA FALLACI
SANITATE,**

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEBURG
CONSILIARIO SENIORE, ACADEM. ET FACULT. MEDIC. SENIORE,
UT ET PHILOS. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDINARIO,
ALUMNORUM REG. EPHORO SENIORE, ETC.

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni pietatis cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLIV. D. SEPTEMBR.

HORIS LOCOQUE CONSUVETIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

A U C T O R

JOHANNES CHRISTIANUS ROHKOHL,
HOYMA ANNHALTINUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ARTHEITICA BALLACI
SANTATI

IN ALMA MATER WURTEMBERGENSIS
AUCTORIS NOMINE

DR. D. MICHAELIS ALBERTI

PHYSICI ET CHIRURGI
CONSILII SENIORIS ACADEMIAE ET FACULTATIS MEDICAE
UTRIUSQUE UNIVERSITATIS WURTEMBERGENSIS

PRO GRADU DOCTORIS

IN ACADEMIA WURTEMBERGENSIS
PUBLICAE ACADEMIAE ET FACULTATIS MEDICAE
UTRIUSQUE UNIVERSITATIS WURTEMBERGENSIS

ANNO DOMINI 1800

JOHANNES CHRISTOPH VON WOLFF

PROFESSOR PRAECEPTOR





PROOEMIUM.



Sanitatem vel integram servandam, vel lapsam restaurandam, totius medicinae esse finem, nemo ibit inficias: Cum igitur hucusque & ego aliorum hominum sanitatem ob oculos habuerim, immo imposterum aliorum sanitatem labefactatam restaurandi, quantum vires permittunt, omnes intendere nervos constituerim; diu cogitavi, quid potissimum pro themate inauguralis dissertationis seligerem. Academiae enim vitae, finem imponere, constitui, & auxiliante Deo imposterum aliorum sanitati consulere contendo: locus mihi in HIPPOCRATIS scriptis ob oculos venit, qui potissimum respectum ad sanitatem certorum hominum haud constantem & firmam

mam habet, licet videri possit, hunc locum, sanitatis
 speciem ad summam bonitatem vergentem, pro re-
 spectu habere: Doctus noster Senex Medicus in A-
 phorismis suis Sect. I. aphorif. 3. dicit: *In exerciten-
 tibus boni habitus, ad summum progressi, periculosi,
 si in extremo fuerint.* Invenitur in græco textu ibi
 vox quadam, quæ ab aliis per *Athletas* interpreta-
 tione explicatur, unde usu venit, quod per athleti-
 cæ sanos, sive per athleticum habitum, corpus robu-
 stum, durum atque validum sit expressum. Talia
 corpora, quoad externum habitum plerumque vi-
 dentur admodum sana & saginata, in experientia
 vero non solum fundatum est, sed etiam secundum
 expressionem Hippocratis, tali sano corpori maxi-
 mum sæpius imminere sanitatis periculum, ita ut ta-
 lia athletica corpora & robusti homines citius sani-
 tate priventur, quam alii homines, non tali integro
 corpore & robusta sanitate gaudentes. Ideo Hip-
 pocratis verba materiam mihi subministrant, thema
 aliquod inauguralis elaborandi, ut cum magno no-
 stro Medico affirmare & probare constituerim, ta-
 lem *εὐεξία*, sive habitum athleticum in hominibus
 sæpe esse inconstantem, infirmum atque fallacem,
 immo quandoque periculosum: erit itaque animus
 meus eo directus, ut de **ATHLETICA FALLA-
 CI SANITATE** in præsentis dissertatione quædam
 in medium proferam. Adfistat mihi D. O. M. be-
 nedictione sua, ut omnia mea conamina in sui nomi-
 nis gloriam cedant feliciter!

§. I.



§. I.

um de sanitate athletica, aut fallaci agere, constituerim, in initio denominationem athleticam paucis verbis statim illustrabo, ex illa illustratione vero transitum ad sanitatis huius fallaciam facere conabor.

Athletae apud priscos græcos certi erant Certatores, Gladiatores, Gymnastæ, Gymnastici &c. qui ob strenua sua exercitia gymnastica, ad summum sanitatis gradum perducti, eo etiam selecto victu præparati fuerant, vid. MERCURIALIS *de arte Gymnas.* L. I. c. 13. ad fin. p. n. 99. sq. qui propterea ita, ut hisce subsidiis hunc habitum athleticum sive *εὐεξία* hanc sibi acquisiverint, declarati sunt pro optime vividis & sanis: ab Hippocrate contra loco allegato pro haud diu sanis & securis declarantur. Nominis derivationem quod attinet, quid nempe sub athleticis sit intelligendum? tunc vox hæc a græca voce *ἀθλέω* derivatur, quæ certare, pugnare *streiten*, *fechten* significat: Sumitur vox athleta pro generali significatione, dum omnes gymnasticos & certatores in se comprehendit, quocumque modo certarent. Civitates pleraque tunc temporis in græcia habebant gymnasia, & palaestras, in quibus certatores corpus suum exercebant, & per hunc laborem corpus sibi robustum atque firmum comparabant, unde etiam hæc loca, exercitii causa, gymnasia dicta sunt, a verbo græco *γυμνάσιον*, exerceo, quia in his locis exercitii causa aliquid fiebat, exinde quoque venit, hanc vocem hodie pro ludo litterario & scholis esse sumtam, & qui se in gymnasia contulerunt apud ve-



reres, illi secundum Galenum sibi corpora valida atque
 robusta comparaverunt; unde eis quoque Hippocrates
 habitum bonum, ad summum fastigium progressum, ad-
 scripsit. conf. MERCURIALIS, JOUBERTUS *de arte Gym-
 nas.* HOFMANNUS *in Lexico.* Sed in historica enarratio-
 ne, horum certaminum non consumam tempus, dum
 hæc ad medicam nostram tractationem parum sufficiunt:
 cupientem autem lectorem ad græcarum antiquitatum
 scriptores ablego: præcipue ad dissertationem SCHUL-
 ZII anno 1717. editam: *de athletis veterum*, eorumque
 diata: cujus recensionem in *A. E. L. anno 1720. Mens.
 Jun. pag. 260.* invenimus. De eis quædam etiam in-
 venimus in Commentatoribus in Hippocratis scripta e-
 jusque Aphorismos: ubi varia lectu digna de eis le-
 guntur. Hi præcipue sunt FOESIUS, GORREUS, HEUR-
 NIUS, HOLLERIUS, & DIETERICI in *Tratco Hippocrati-
 co.* Jam vero me ad tractationem ipsam converto, ad
 quam Hippocratis verba, in proœmio allegata, mihi oc-
 casionem suppeditant, qui hisce Athletis quidem bonam
 adscribit habitum, quando vero cum eo ad summum api-
 cem perventum est, illum quoque pro periculoso declarat.

§. II.

Sanitas athletica quid mihi sit? sequentem expli-
 cationem de ea trado: quod sit ille status hominis, qui
 per exercitia corporis vegeta, corpus sibi acquisivit va-
 lidum, unde etiam Athletice valere, idem est, ac firmiter
 valere. Subinde etiam per integra organa omnes fun-
 ctiones, ad conservationem corporis spectantes, ordinare
 & incolumes succedunt: Ad hanc valetudinem gerendi
 non solum requiritur corpus firmum, & robustum, sed
ista

ista quoque durities labore, sicuti apud veteres, impetra-
 ri debet; porro ad hanc integritatem non tantum suffi-
 cit labor, quia per eundem semper aliquid consumitur,
 quod iterum reparari debet, quod fit per victum nutri-
 entem, & corporis vires servantem; id quod quoque
 Galenus approbat: his athleticis, qui se tunc temporis
 in gymnasia contulerunt, non solum labore, sed etiam
 usu alimentorum nutritiorum corpus factum esse durum
 atque robustum, cum qua diæta alimentosa, plerumque
 corpus carnosum & lacertosum conjunctum esse solebat,
 sicut in obesis observatur. Ex hac diæta pleniori argu-
 mentationem Hippocrates format ad plenioris genera-
 tionem sanguinis, ita vero, ut ex illa plenitudine sangui-
 nis, exemplo Athletarum, probet, eis hunc statum fieri
 periculosum, præcipue, quando ad summum pervenerit,
 quod quoque sequentia in hoc Aphorismo contenta
 verba probant. Cum igitur athletica corpora plus fuci
 quam firmi in se habere videntur, carne atque adipe sæ-
 pius multa oppleta sint, multa humorum copia sunt di-
 stenta; ideo quoque ad subitaneos morbos pronissima vi-
 dentur Hippocrati, ita, ut hæc corpora per aliquod tem-
 pus splendida & speciosa quidem compareant, sed quan-
 do culmen attingerant, imminet periculum, eorumque va-
 letudo fiat instabilis, variabilis, infirma atque inconstans.
 Probant hoc ulterius ARETÆUS, ÆGINETA, MERCURIA-
 LIS, GALENUS in Hippocrat. Aphorism. THOLOSANUS,
 affirmantes conditionem athleticorum per aliquod tan-
 tum temporis spatium esse bonam, & ut THEOPHRASTI
 verbis utar, *in summum fastigium evecta hæc corpora,
 molem suam diutius sustinere non possunt, sed talis evecta
 cadit,*

cadit, & quidem mox: licet exercitia corporis moderata, cum athletico statu conjuncta, per aliquod tempus fiant medicina. Quia igitur hæc sanitas hominem sæpe fallit, ideo transitum ad ejus fallaciam demonstrandam facio.

§. III.

Quod athletica sanitas fallax, nihil aliud sit, quam bonæ, firmæ atque vivacis valetudinis inconstantia, sive mutatio in valetudinem adversam: id quoque Hippocrates judicat, quando tales athletici ad summum progressi sunt, periculum eis imminet. Horum enim sanitas ad summum perfectionis gradum pervenire esse videtur, illa perfectio vero non permanet, sed propter causas quasdam concurrentes, facile se in infirmum atque inconstantem statum mutat, hanc ob causam eam quoque vocavi fallacem. Si quidem ob quotidianum motum & progressum non altius ascendere potest, quia jam summum attingit fastigium & gradum, ideo iterum descendere tenetur. Fallacia hujus firmæ sanitatis se interdum eo extendit, ut cum periculo vitæ se conjungat, quidquid enim ad summum pervenit, propter varias alterationes in hoc gradu quietare non potest, sed necessario in inconstantem & deteriorem statum inclinat, qui nullam firmam sanitatem promittit. Minima modo interdum causâ vel interna vel externa accedere debet, tunc in talibus subjectis facultates & motus naturales alterantur, ut exinde fallacia valetudinis immineat, præsertim, si tales athleticè sani otiosi vel quiescunt, vel etiam motu corpus exercent, ita, modo subito, modo successivè sive valetudinem bonam cum adversâ, permutant, cum quo

quo statu sæpe se periculum aliquod conjungit: ideo hæc athletica fanitas ex auctoritate Hippocratis & ex experientia pro fallaci declarari potest.

§. IV.

Inclinant vero in athleticum fanitatis statum, sanguineo & cholericum temperamento præditi, uti sunt sanguineo-cholericum, sanguineo-melancholicum, cholericum-melancholicum & melancholicum-cholericum, quorum corpus facile firmitatem aliquam assumit. Activioris solent esse corporis, & laborem, interdum adeo arduum præ aliis temperamentis facilius perferre possunt, præterea duræ & graves offensiones illis non semper nocent, quare hæc temperamenta quoque ad operationes aliasque expeditiones perferendas præ aliis aptissima sunt. Ex activiori & laboriosiori eorum vita igitur evenit, ut præ aliis calidum appetitum acquirant, qui dum cibos & alia nutrimenta ingerunt, ad amplificum corporis accrementum disponuntur, unde denique carnositas corporis originem ducit, quæ observatio præcipue in obesis animadvertitur hominibus, in quibus status sanus minime fidus atque constans esse solet. Accedit quidem in his hominibus, athleticæ sic sanis, quoad externum aspectum, conspicua vivacitas, sed tamen semper aliquid insolito modo? tunc facile alterationem aliquam sentiunt, & licet alias bene ingerant, bene digerant, beneque egerant, tunc tamen aliquid contingit, ut a nimio vel duro vel dyspepto alio assumpto cibo de molesta atque pressoria quadam præcordiorum & hypochondriorum sensatione loquantur, quæ eis pederentim ansam præber,

B

ut

ut sanitatem fallacem atque inconstantem declarent. Conclusio ibi cum Hippocrate & Galeno formari potest, quicquid ad summum pervenit, illud ad exitum prope-
rat; quanto enim plus sanis hisce hominibus accedit, tanto plus periculi imminet eis, sanitatis fallaciam con-
cedendi, quibus effatum CELSI addo: *Si plenior quis & speciosior & coloratior se ipso factus videatur, is suspecta habere debet sua bona.*

§. V.

Ad *causas* me nunc converto, cur athleticus habi-
tus non sit firmus, constans & durabilis, sed fallax. Hip-
pocrates de eis aliquam causam allegat, quia cum eis ad
summum pervenit, sed inquirendæ sunt causæ, magis
perspicuæ, propter quas eorum œconomia sanitatis inter-
dum ad summum pervenit. Earum dantur variæ, ex
quibus illorum sanitas inconstans & fallax evadit; inter il-
las primum locum occupare debet, carnositas corporis,
quæ in plerisque præsto esse solet, præcipue si tranquil-
litatem animi simul observant. Antea jam dictum est,
tales bono appetitu edendi præditos esse, si igitur sem-
per de appetitu & ingluvie quâdam ventris cogitant,
tunc multis exinde evenit obesitas corporis, quæ illorum
sanitati non semper convenit, præcipue si opes eorum
admittant, diætam sibi plenam atque alimentosam com-
parandi, tunc non solum corpus carne multa imo adipe
suffarcinatur, sed etiam ab hac largiori nutritione superflua
generatur sanguinis quantitas; Scimus præterea, carnosos
homines sæpius expositos esse angustiis præcordialibus &
oppressionibus pectoris, & licet alias sani appareant, tam-
amen in movendo corpore semper observantur aerem
anhe-

anhelantes, daß wenn sie einige Schritte gegangen sind, sie stehen bleiben, und nach der Luft schnappen, immo interdum suffocationis metum experiuntur, sicuti in *A. E. L. talis casus de subitanea suffocatione ex obesitate allegatur anno 1723. Mens. April. pag. 138.* item de dispositione obesorum ad subitanam mortem *A. N. C. dec. I. anno 2. obs. 784. HAGENDORN cent. 3. hist. 28. pag. 321.* ex quibus apparet, talia subiecta athletica valdeque carnosafiffmaticis, & suffocativis obnoxia esse periculis, quibus se alia congestionum species associant; accedunt his interdum palpitationes cordis, sudores immoderati, dolores capitis, & dum ad largiores sudores proclives sunt, se vero non semper in regimine, quoad aerem frigidum, humidum, calidum, convenienter gerunt; tales sudores repellunt, ut exinde colica & alia spasmodica tractiones in abdomine originem ducant, ex quibus iterum propter largam ingestionem alimentorum, largiores oriuntur diarrhæe, quæ illis haud salutare evadunt. Ex his conclusionem formo, corpora athletice sana procliva esse ad carnositatem & obesitatem, & propter hanc ad varios fonticos morbos disponi. Plura qui cupit de hac materia, adeat *DN. PRÆSIDIS praxin extemporaneam cas. 2. ff. 1. 9. 10. pag. 256. 257.* ubi ulterius de his obesifanis & infanis agitur.

§. VI.

In inquirendis causis, quæ sanitatem hominum athleticorum fallacem atque infirmam reddere possunt, & in practica ægrotorum tractatione medicis ob oculos veniunt, annuero quantitatem sanguinis. Fluit enim hæc causa ex antecedente §pho, in quo dictum est, tales

athletice sanos plerumque bono appetitu esse præditos. Ex appetentia ciborum & potulentorum oritur largior eorum ingestio & collectio, ex his largior expectanda est nutritio, hanc sequitur amplior habitus, ex quibus omnibus largior copia humorum, præcipue rubicundi, puto sanguinis, oritur. Nunc scimus & ex pathologicis cuique notum est, quantas vexas superflua copia sanguinis, sive plethora excitare valeat, ex cujus commotione multa damna, sæpius vix emendabilia, in sanitatem redundant, ita cum aliis medicis affirmare audeo, plethoram multorum morborum esse matrem, consequenter etiam morborum athletice sanis contingentium. Prognosticon certe non fidum talibus hominibus ex præsentè plethora formatur, quam quæ athletico statui sæpe repentinam minatur mutationem. Accedunt huic plethoræ quam sæpissime orgasmi sanguinis, qui sanguinem ad alia loca pellunt, ut exinde congestiones, palpitationes cordis, angustia præcordiales, oppletiones pectoris catarrhales, dolores capitis; sopores, syncopes, commotiones febriles, sudores aliaque pathemata plura originem ducant, quæ omnia athletice sano corpori periculum inferre possunt, quæ pathemata omnia ex quantitate sanguinis nunc sunt derivanda. Hisce orgasmis, data occasione, se associant expansiones vasorum sanguiferorum, quæ iterum rupturam vasis cuiusdam minantur, qui sanguis deinde, quando in partem aliquam nobiliorē ac principaliorem fluit, apoplexiam, vel etiam alium morbum subitanicum procreare valet. Si igitur ealem athleticum statum perpendimus, qui insuper secundum Hippocratem ad summum pervenit, tunc fere de illo dicere

cere possumus, illum nihil stricte naturale in se habere, sed jam aliquid præternaturale continere, consequenter quoque aliquid horum hominum sanitati adversum: quam meam sententiam quoque LINDENIUS approbat, qui *in selectis medicis exercitat. 8. §. 5. p. 210. athleticorum statum non a natura esse, declarat.* Porro iis plethora suspecta videtur, propter obstructions & stagnationes, quæ huic malo se associant, dum interdum nobiliora viscera, quando cum abundantia sanguinis, spissitudo & cacochymia se conjungit, obstruuntur, quæ pathemata iterum ex variis erroribus, præcipue diætetis, originem ducunt, ita, ut hepar, lien, mesenterium illiusque glandulæ obstruantur, interdum infarctu afficiantur, quæ multa gravia sequentia pathemata secum gerunt, sanguinis enim cursus per vasa sanguifera, nobiliora hæc viscera percurrentia, est inordinatus, interruptus, ex quo impedito fluxu non solum obstructions, infarctus, immo sæpius inflammationes internæ, salutarium hæmorrhagiarum suppressiones oriuntur, quæ certe sanitati horum hominum male quadrant, sed, nisi periculum, inconstantem tamen atque infirmam valetudinem inferunt.

§. VII.

Alia causa, athleticorum statum infirmum reddens, provenit ex inconsulta tractatione hæmorrhagiarum, alias salutarium, hæc dum cum sanguine commercium suum habent, brevitatis causa ex his hæmorrhagiis modo hæmorrhoidum mentionem facio, earumque fluxum immodicum, vel quoque suppressum adduco. Supra jam dictum est, quod secundum temperamentum in hunc statum athleticum magis inclinet sanguinei

guinei & cholericæ, nunc scimus ex pathologicis, quod hæc temperamenta ad hæmorrhagias sint disposita. Si igitur hæmorrhoides nimium fluunt, tunc ob imminutionem largam sanguinis plerumque jacturam virium pedissequam habent, quæ illis denique caducam valetudinem indicat: huc recensendæ sunt hæmorrhoides suppressæ, quæ iterum ex variis aliis concurrentibus causis suppressi possunt, & quantas calamitates in homine alias excitent, quemlibet non fugit practicum, eo magis hæc suas calamitates in athleticæ sanis exerunt. Suppressio salutarium hæmorrhagiarum plerumque comitem habet regressum humorum ad alia loca, ita, si organa accedunt, sanguinis palindrome ad nobiliora viscera transit, ut exinde sanitatis inconstantia sit metuenda, vasa enim nimium sunt distenta, quæ ruptionem minantur, quorum quædam sunt tenuiora & molliora, quam ea, quæ cuti sunt proxima, externa enim vasa aeri magis sunt exposita & per consequens propter accessum illius rigidiora, interna vero propter debitum calorem molliora manent, & ob teneritudinem suam facilius rupturam pati possunt, ut exinde status sanus multis calamitatibus & offensionibus sit expositus; & quid porro dicam: si hi recursus sanguinis caput invadunt, nonne exinde metuendæ sunt apoplexiæ, spasmi, inflammationes, phrenitis, immo conjunctæ febres acutæ? ut ex una hac calamitate, nempe suppressione salutarium hæmorrhagiarum, multæ plures calamitates oriri possint; quæ omnia, ad statum athleticum applicata, iterum probant, hunc statum esse inconstantem, immo sæpius periculosum.

§. VIII.

§. VIII.

Porro inter causas, athleticorum sanitatem instabilem reddentes, recenseo jacturam & amissionem virium, quam iterum causari potest partim plethora cum spissitudine conjuncta, partim habitus corporis obesior, unde tardior & debilior sanguinis progressus, stagnationes, infarctus, scirrhotitates &c. oriuntur. Quicquid enim vires enervat, illud sanitati inimicum est, omnes enim §.VI. enumeratae causae vires labefactare valent: porro virium jacturam contrahunt nimiae commotiones corporis, commensationes, computationes, & quia propter corpus succulentum immo carnosum sudoribus esse solent obnoxii, suppressiones sudorum, suppressiones aliarum excretionum, ansam dare possunt virium jacturae. Vires amittuntur, quando aliae excretiones accidunt immodicae, uti sunt sudores, diarrhaeae, vomitus. Huc etiam ansam praebet, quando animi moderamini haud student, ideo olim quoque athleteae pathematibus animi moderamen servare debebant, quia viribus ad certamina sua opus habebant. Et quis omnes causas hic recensere potest, quae virium amissionem causantur, brevitati studens, quasdam modo in medium protuli, artamen adhuc quaedam in sequentibus §§. passim occurrunt causae, quae corpori virium jacturam inferunt, & athleticorum sanitatem reddunt inconstantem.

§. IX.

Athleticus hominum status quoque fieri potest infirmus atque inconstans, quando perversum usum sex rerum non naturalium concilio; quae a medicis ita sunt vocatae, quia ad hominis durabilitatem & existentiam pertinent,

tinent, si illis athleticæ sani non recte utuntur, inde constantem quandam & durantem sanitatem expectare haud possunt? Noxam igitur eis adfert incongruus aeris usus. Supra jam dictum est, tales athleticæ sanos laboriosos esse homines, esse edaces, esse succulentos, esse etiam ad sudores proclives, si igitur per aerem frigidum, sudores repellunt, quanta damna sanitati accidunt? si porro & subito aerem calidum cum frigido permutant, & vice versa, quantæ ærumnæ inde non redundant in eorum sanitatem? Si corpulenti sunt, quam operose anhelant aerem? anxie respirant? & suffocationis aliquo metu interdum anguntur? præcipue si aer est alteratus, impurus, sulphureus, rarefactus & aliis heterogeneis materiis inquinatus. Mutatio aeris eis quaque non semper salutaris est, quando habitationis sedem mutant, ubi præter consuetudinem alium aerem, aliamque regionem occupant, qui aer in alia regione illis non tam salutaris existit, cui etiam adsuescere non possunt, unde semper alterationem quandam in corpore sentiunt: & sic tales mutationes & alterationes aeris causâ occasionalis fiunt externa, quæ athleticorum sanitatem reddit infirmam.

§. X.

Si horum hominum cibum & potum consideramus, tunc ex eorum usu illegitimo nova causâ, inconstantis valetudinis, procreatur. Cibi enim potusve legitimus usus ad durationem corporis pertinet, si vero homines eis non recte utuntur, duratio corporis fit fallax. Superius jam dictum est, quod athleticæ sani bono appetitu sint præditi, si vero cum eodem se voracitas, immo mala consuetudo edendi conjungit, bibendi habitus etiam

acce-

accedit, tunc e tali ingluvie & intemperantia multa damna oriuntur; ideo tales homines non diu sani esse possunt. Hoc quoque intelligendum est, quando cum luxurioso victu, luxuriosus atque generosus potus conjungitur: hæc duo enim corpus aggravant, unde minime constantia est expectanda: conferatur §.V. in quo jam plura sunt prolata, quoad victum & accrementum corporis quæ athleticis insalubria sint.

§. XI.

Sic quoque motus & quietis irregularis usus ansam athleticæ valentibus ad inconstantem valetudinem dat. Quidam athleticæ se satis movent, ut propter exercitia & motum corporis ad sui conservationem majus etiam deposcant pabulum; labore enim & motu augetur internus calor, consequenter nutrimenta pleniora ingerere atque melius digerere debent, hinc illorum corpora, motu debito, fiunt validiora, hoc tamen non semper naturale quid est, sed præternaturale quid interdum intus latet; ita ut modo levis causâ occasionalis concurrere debeat, tunc illorum sanitas mox detrimentum experietur. Suscipiant modo aliquid motu vehementiori, ut sudorem eliciant, dent sese deinde subito quieti, tunc sentient aliquid, quod eis incommoda indicabit, insuper, si porro multo otio se tradunt, appetitus interea integer manet, tunc mox vitiosam alterationem sanitatis percipient, quia alias otia plerumque dant vitia, horum enim hominum natura otio non est contenta, sed quies & motus ita congrue alternare debent, ut hæc functiones semper permaneant in æquali gradu, quodsi vero hoc non observant, exinde eis metuenda est quædam sanitatis fallacia.

C

§. XII.

§. XII.

Porro somnus & vigiliæ pro causa agnosci possunt sanitatis inconstantis: hæ enim functiones respiciunt vires, immo actiones vitales, nimius somnus activitatem corporis lædit, ut omnes functiones in corpore non recte peragantur. Sic illis quoque nimix vigiliæ infirmam valetudinem causantur, quando enim adeo sunt laboriosi, ut in seram usque noctem, immo per totam noctem negotia & labores suos tractent, ibi labefactatur corpus & vires exhauriuntur, ex qua amissione virium corpori variæ contrahuntur calamitates. Dantur quoque alii quidam athleticæ sani, qui propter corpulentiam corpus ægre movere possunt, ut ex intermisso debito motu functiones in corpore alterationem aliquam patiantur, imo plane infringantur: Ex quibus prolatis iterum causa inconstantis sanitatis oritur, cum quibus prolatis conferri potest, quod jamjam §. V. & VIII. in medium prolatum est.

§. XIII.

Quod ad excreta & retenta attinet, tunc cum aliis causis conjuncta causam ulteriorem fallacis sanitatis eadem subministrant. Excretiones enim irritari possunt, permulta ingesta, inconvenienter sumta, quibus insuper non sunt adsueti. Excretiones inordinatæ fieri possunt, per largam, inordinatam, vel suppressam alvi excretionem, per suppressam vel largiter promotam diuresin, per immodicam emesin. Ita etiam comparatum est cum retentis, quid enim retineri debet; illud data occasione excernitur, quando igitur ea, quæ mixtioni animali ordinatæ inserviunt, non retinentur, sed tam qualitate, quam quantitate e corpore ejiciuntur, tunc horum hominum tota œconomia vitalis in pejorem ruit statum, tanto magis

gis, quando retentorum excretio in excessum ruit, tunc certe athleticæ sani haud constanti gaudere possunt sanitate, & quicquid omnibus antea citatis causis anam præbet, illud etiam se & excretionibus occasionem dare potest, irregulariter succedendi.

§. XIV.

Converto me paucis adhuc ad animi pathemata; sicuti hæc in totam hominis œconomiam vitalem magnum habent influxum, ita etiam in athleticum hominis statum sanum eumque certum. Dixi superius, quod sanguineum & cholericum temperamentum ad hunc statum athleticæ sanum maxime sit aptum. Scimus quoque, hæc temperamenta maxime exposita esse animi pathematibus, ita ut excitatam iram sæpius non possint compefcere: ibi largior bilis effusio e cystide fellea in intestinum duodenum & consequenter ulterius in massam sanguineam contingit, quæ, quando larga & sæpius repetita est, tali homini athleticæ varios contrahere potest morbos biliosos, illosque graves: uti sunt cholera simplex, vomitus biliosi, diarrhœa biliosa, hæmorrhagarum inordinatæ fluxiones, colica biliosa, icterus, febres biliosæ, & alii morbi plures, hæc mala omnia oriuntur, quando adfectui iracundiæ frena dant laxiora. Porro adfectus voluptatis cum silentio non est prætereundus, in quem sanguinei & cholericæ præ aliis hominibus sunt proclives, in quo, si extravagantur, nimiumque veneri indulgent, certe totum statum athleticum graviter pervertunt, & sibi varias ægritudines exinde contrahunt, adfectus hic libidinis præcipue naturales vires valde exhaurit, immo vitæ cursum abbreviat, ut tales homines sæpe ex adpectu cognoscere possimus, quando alio tempore sani sunt visi, jam jam ali-

um statum præsertim morbosum ex eorum adpectu dijudicare licet. Hæc etiam primaria fuit causa, cur veteres athletæ parum amori indulserunt? quoniam eis vires, quibus tamen opus habuerunt, certamina sua ineundi, valde essent exhaustæ, unde etiam *Casp. a REYES. in camp. elys. jucund. quæst. quæst. 46. no. 13. p. m. 567.* dicit: *multi fuerunt athletæ, qui a venere abstinentes, nihil ab inde damni habuerunt: & LINDENIUS in Select. medic. exercitat. 15. §. 99. p. 677.* inquit: *abstinebant athletæ a muliere, ne corporum suorum robora imminuerent.* Immo in experientia fundatum est: quando juniores homines præmature hoc opus aggrediuntur, præmature etiam sanitati damnum inferunt, sic quoque alii homines ætate jam provectiores, nimia venere vires corporis valde exhauriunt, hæc applicari possunt ad athleticæ sanos, qui, se non moderamini student, vires non solum amittunt naturales, sed totam œconomiam naturalem pervertunt, ut ex adfectu amoris solum, mox de sepulchro cogitare possint. Huc porro referendi sunt, timor, terror atque tristitia, quæ si sæpius & largius accidunt, totam œconomiam naturalem, alias sanam, pervertunt: dum exempla multa constant, homines, alias sanos, propter multam tristitiam in adfectus rabificos esse conjectos, *dass sie sich vor Traurigkeit recht verzeibret haben.* Videmus ergo ex his, quantum adfectus animi athleticæ sanis inferant damnum, & sanitas eorum non diu ea propter manebit firma atque constans.

§. XV.

Ad hanc classẽ paucis adhuc refero consuetudinem, quæ hic quoque locum meretur. Si enim tales athletici homines a puerili ætate educationem habuerunt duram, arduam atque asperam, ita ut omnes offensiones perfer-

re

re potuerint: de quibus vulgo dicitur, *dass sie von Kindes Beinen an abgebartet waren*, quoad hanc causam conf. *DN. PRÆSES in dissertat. de insensibilitate personali §. 3. p. 15.* dicens: *educatio multum contribuit ad indurandam naturam: & paulo post: præcipue si infantes non molliter, indulgenter, pretiose & delicate educati sunt, firmitiori virium ac tolerantia robore instruuntur.* In hac consuetudine vero crescente ætate non pergentes, si se emolliant, diætam luxuriosam & regimen molle sibi eligunt, immo totum vitæ genus mutant, tunc de his certe dici potest, quod eorum status athleticus corrumpatur, & inconstantia fiat proximior, quam firmitati, unde in consuetudine recepta pergere debent atque perseverare, si vero hanc receptam consuetudinem non conservant, sed eam derelinquunt, tunc quoque eorum robur naturale debilitatur, ut exinde iterum nova causa oriatur, conclusionem ad athleticorum statum fallacem formandi.

§. XVI.

Externæ quædam contingunt causæ, quæ hunc statum athleticum pervertere possunt, eaque plerumque sunt violentæ: licet supra jam §. IX. recensitæ mutationes repentinæ aeris calidi cum frigido, & frigidi iterum cum calido ad externas causas referri possint, quæ haud violento modo sunt. Inter causas igitur externas easque violentas recenséo casum inopinatum ab alto, plagas vehementer corpori inflictas, vulnera cum quocunque instrumento illata, & denique ulcera, quæ ab aeribus rebus, cuti admotis, nec circumspecte tractatis originem trahere possunt. Huc adhuc referendæ sunt ex historia chirurgica, contusiones atque fracturæ. Quantam sensationem tales athleticæ sani interdum non experiuntur,

quando se quadantenus lædunt: hoc vulnusculum illis per aliquod tempus varias alterationes in corpore propter insuetudinem caussatur: Sed satis erit, aliquas allegasse causas, quæ athleticum statum reddere valent infirmum atque inconstantem: plures quidem adhuc allegari potuissent, ne vero limites scripti transgrediar: spero, me principales in medium protulisse, satis esse.

§. XVII.

Paucis adhuc quasdam regulas practicas allegare; non superfluum erit, quomodo tam curatorie, quam præservatorie his subjectis sit succurrendum. Observamus in praxi medica, tales athleticæ sanos, sæpius cito in morbum aliquem incidere, eumque plerumque gravem; cum tamen antea quoad externum adspectum nihil imminentis mali in eis sit observatum. Si igitur tales homines morbo aliquo cito corripuntur, cito quoque eis est subveniendum; plerumque invenitur in eis abundantia sanguinis, quam Venæ sectione, eaque larga corpori convenienti, imminuere licet, per quam partim sanguinis quantitatem minuo, partim motus a superioribus locis revoco, ne ad superiora loca transeant; ibidemque congestiones aliaque damna excitent. Hanc etiam HIPPOCRATES allegato aphorismo commendat, eamque largam, dicit enim: *hæc evēta sine cunctatione solvi oportet.* Evacuaciones omnes eo sunt dirigendæ, & in debito successu conservandæ, ne obstructio vel suppressio earum superveniat. Concurrit plerumque in his subjectis orgasmus sanguinis, quem cum temperantibus, lenientibus; & leniter sedantibus pharmaceuticis & diæticis compescere possumus: Conveniunt interdum salia abstergentia, digestiva, ut & absorbentia, lenia laxantia, uti sunt rhabar-


rhabarbarina, mannata, passulata, tamarindinata, magnesia alba, terra foliata tartari, aut alia lenientia plura, quæ corpus non aggravant. Si eis accideret, ut apoplexia, syncope, lipothymia, spasmis, febribus, morbis biliosis, siue aliis morbis biliosis corriperebuntur, tunc eis talia medicamenta sunt porrigenda, quæ praxis medica & practi-
corum celeberrimorum scripta his in casibus suadent, hic vero enumerare scripti ratio non permittit. Dietetice iis conducunt diluentia, humectantia, non valde nutrientia; abstineant a præjudiciosa refrigeratione, conducunt eis in & externa roborantia, viresque reficientia, quas statim, morbo invadente, facile amittunt. Abstineat medicus in his subjectis ab omnibus impetuosis & sanguinem impellentibus medicamentis; eligat leniorem, eos tractandi, methodum, quia in his hominibus hoc tempore, omnes motus impetuosi & refractarii sunt, quæ lenissima via interdum adhuc sunt conservandi. Si hisce athletice sanis præter spem ab externis causis detrimentum sanitatis accideret, uti sunt vulnerationes, contusiones, fracturæ &c. tunc prudens medicus illa auxilia commendabit, quo praxis medica & chirurgica hisce in casibus suadent. Vulnera magna plerumque largam amissionem sanguinis & virium secum ducunt: iis medicus prudens obviam ibit sua prudentia; sicut *HEURNIUS in commentar. in Hippocrat. Aphorism. p. m. 21. n. 7.* exemplum, de principe Naffoviensi Guilielmo a latrone læso, allegat, sane athletico, cui quotidie multum sanguinis effluxit & tamen viribus salvis evasit, sed hoc exemplum non ad omnia corpora athletica est applicandum, ex quorum vulneribus non semper tam incredibilis copia sine noxa effluit.

§. XVIII. Præservatorie medicus hisce ægris ita succurrit, ut omnes evacuationes in debito conservet ordine. Si sanguine abundant, bis, ter, quater per annum pro circumstantiarum varietate administrare potest Venæ Sectionem; in alvi excretionis tractatione lenissime progredi debet medicus, ne eam irriter, quod per antea commendata lenientia fieri potest. Commender

eis,

eis, corpus in debito conservare motu, ne excedat, nec deficiat, si enim corpus in debito motus ordine conservatur, tunc hic moderatus motus illis interdum fit medicina. Suadendus eis est legitimus & moderatus usus sex rerum non naturalium, ne contra eos errorem eminentem quendam committant. Commendanda eis est *dieta levis*, non pinguis, non luxuriosa. Regimen ita dirigendum est, ut semper aeris temperiem observent, omnia quae a tempestate adversa oriri modo possunt, sunt evitanda, abstinere debent a comotationibus & commellationibus, nam tales athletici, quando sanitatem conservare cogitant, regulis diæticis & medicis convenientius vivere debent, quam alii homines, quia hujus conditionis hominibus mutatio quædam sanitatis æque contingere solet. Suadendum eis est interdum, vel certis anni temporibus, medici prudentis consilium sibi expetendi, ut sciant, quomodo vitam suam possint dirigere, quibus regulis se deinde quoque accommodare debeant, ideo *Select. Francofurtensia Tom. 3. p. 408.* observationem & regulas quasdam in medicum proferunt, *quomodo athletice valentes erga medicos se gerere debent.* Si igitur medicus omnibus eorum morbis, quorum species omnes dissertationis limites recensere non permittunt, medela sua adest. Si porro medicus eis præferibit, quomodo quoad animum se gerere debent, nempe illius moderationem conservando, animique omnes adfectus compefcendo, imo eis omnia suadet, quae a dexterrimo medico modo sunt expectanda, tunc etiam medela sua eis magnum adferre potest solatium, ut illorum status fallax iterum de novo fiat firmus atque constans. Hæc sunt *Lector Benevole*, quæ tibi brevi hæc commendatione ob oculos posui, convenit tibi, de prolatis ferre judicium, peto modo, ut illud sit æquum, protuli tantum, quantum potuerim & quantum vires permiserint. Interim D. O. M. gratias ago humillimas; qui huic non solum meo labori, sed etiam per totam meam vitam mihi adstitit, velit mihi quoque posterum auxilio suo adesse, meisque benedicere laboribus, ut omnia mea conamina in illius cedant gloriam, in proximi agroti salutem, imo meum ipsum emolumentum & speratum

F I N E M.




00 A 6399


ULB Halle 3
002 916 584



sb







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**ATHLETICA FALLACI
SANITATE,**

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEBURG
CONSILIARIO SENIORE, ACADEM. ET FACULT. MEDIC. SENIORE,
UT ET PHILOS. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDINARIO,
ALUMNORUM REG. EPHORO SENIORE, ETC.

Domino Parrono, Præceptore ac Promotore suo, omni pietatis cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLIV. D. SEPTEMBER.

HORIS LOCOQUE CONSUVETIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

A U C T O R

JOHANNES CHRISTIANUS ROHKOHL,
HOYMA ANNHALTINUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.